

# BARTHOLOMÆI

Pitilci Grunbergensis

## TRIGONOMETRIÆ

### LIBER TERTIUS.

*De dimensione Triangulorum planorum.*

Haftenus de principiis Trigonometriæ, & de tabulis Sinuum, Tangentium & Secantium, ad Trigonometriam exercendam necessariis. Nunc sequitur ipsa illa Trigonometria, sive dimensio Triangulorum, tam planorum, quam Sphæricorum. In qua utraque explicanda: quia non aliter, quàm per regulam proportionum absolvitur: ut supra dictum fuit: principiò quidem axiomata quædam trademus, ex quibus intelligatur, quæ proportionum quibus Triangulis, Triangulorumve partibus insint: quæ axiomata idcirco AXIOMATA PROPORTIONUM appellare libet. Deinde verò ostendemus, quomodo axiomata illa ad usum applicari debeant, sive, quomodo beneficio paucorum illorum axiomaticum quodlibet quæsitum, in quovis Triangulo proposito, ex quibusvis tribus datis, quàm citissimè reperiri possit.

Axiomata proportionum in Triangulis planis existentium præcipua, & ad omnem eorum solutionem abunde sufficientia, præter aureum illud totius trigonometriæ fundamentum, quod libro primo, propositione 46. explicavimus, sunt quatuor.

M

AXIO.